



9520
90:57/512.
10
1704.86

DISPUTATIO INAUGURALIS DE PROBATIONE PER TESTES CAU- TE INSTITUENDA,

2vAM
PRAESIDE
DN. CASP. HENRICO HORNIO,

J. U. D. ET PANDECT. P. P. CURIAE PROVINC. SCABI-
NATUS ET FACULTATIS JURIDICAE, NEC NON JUDICII
PROVINC. IN MARCH. INFERIORIS LUSATIAE
ASSESORE,

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
AD D. VI. OCTOBR. A. MDCCIV.

IN AUDITORIO MAJORI,

PRO CAPESSENDIS SUMMIS IN UTRQVE JURE HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS,
SOLEMNITER AD VENTILANDUM
PROPONET

Johann Gottfried Neumann
BUDISS. LUSAT.
CURIAR. ELECTOR. IN LUSAT. SUPER.
ADVOCAT. ORDIN.

VITEMBERGAE RECUSA,
LITERIS JO. GODOFREDI MEYERI, (5)
ANNO M D C C XIII.





PRAEFATIO.



Vi in foro ac strepitu
altercantium nuper
admodum versari cœ-
pi, iis potissimum Juris
argumentis delector,
qvæ ad usum trans-
ferre liceat, qvæque
non arida & obscura
disceptatione Scholam redolent, sed evidenti
atqve apud omnes confessa utilitate se in Pra-
xi commendant, judiciumqve & memoriam
in instituendis causarum controversiarum-
qve momentis confirmant. Qvo præsertim
materiam de Probationibus, & sigillatim il-
lis, qvæ per testes conficiuntur, referas; Nam

A 2

qvo

qvo acrius & frequentius super hoc probandi genere lites moveri solent, eo magis omnia, qvæ de illo in Jure prodita sunt, exercitienda, atqve ad vivum resecanda sunt. Qvocirca non abs re fore existimavi, si loco Speciminis Inauguralis, qvod viam mihi ad summos in utroqve Jure honores capessendos pandat, hoc argumentum feligerem, ad qvod enucleandum Divini auxilii fiducia suffultus circa verborum ambages progressior.

S. I.

Testes habent appellationem a testando; testimonium enim perhibendo fidem Judici faciunt. L. 22. ff. d. Test. vid. Wesenb. ad π. Tit. d. Test. Ubi tradit duplicem significationem Voci testari. Denotat enim idem, qvod affirere atqve verbis suis confirmare; deinde significat idem, qvod fidem alicujus ad veritatem confirmandam invocare. Unde in Jure dicitur aliquid testato h. e. praesentibus testibus fieri, qvi de re ista, ubi opus fuerit, deponere queant. L. 40. ff. d. V. S. Vocantur etiam *Antistites* C. 10. X. d. V. S. & *advocati* vid. Colleg. Argentor. b. t. Item *signatores*, qvod nempe

nempe scripturas, qvibus adhibentur, signaculo
confirmare soleant. *L. 3. d. Tabb. exhib. L. 22. ff. d.
Test.*

§. II.

Est vero *testis* persona , qvæ ad fidem ne-
gotio uel rei controversæ fatiendam adhibe-
tur. *L. 3. pr. & § f. d. Test. Trentl. Disp. 5. Vol. 2. Tb. 6.
Tit. d. Test. Wesenb. Parat. ad π. Tit. d. probat. n. 1. in
ſen. Struv. Exerc. 28. §. 35. Lauterb. Cons. Jur. d. pro-
bat. pr.* Adhibentur autem Testes vel in judi-
cio & dicuntur Testes judiciales , qui nempe
super re judicialiter controversa deponunt, vel
extra judicium, ut in Instrumentis & Testa-
mentis. Hoc loco de judicialibus est sermo.
Dividi præterea Testes in sensu aliquanto lati-
ori accepti solent in habiles seu idoneos, & ini-
doneos seu inhabiles. Illi dicuntur qui Testes
esse neque natura impediuntur, neque Lege
prohibentur *L. 1. §. 1. ff. d. Test.* Et tales regu-
lariter præsumuntur. Suntqve rursus *omni*
exceptione vel *majores*, quorum testimonio nihil,
qvod integritatem & fidem eorum imminuat,
opponi potest vid. *Wesenb. Par. ff. d. Probat. n. 2.*
Vel *minores*, quorum depositioni exceptio fidem
minuens objici potest. *L. 3. pr. & §. 2. ff. d. Test.*

A 3

Te-

Testes vero plane inhabiles & inidonei sunt,
qvos a Testimonio dicendo vel natura.
uel Juris prohibitio excludit. *I. 3. s. 5. ff. d.*
Teſt.

§. III.

Causa efficiens probationis per Testes est
vel remota, vel proxima. Illa est necessitas per
Legem introducta. Ut enim eo magis com-
pendiaria ad Controversias terminandas via
panderetur, constitutum est, ut Testes appelle-
lati cogantur veritatem dicere, neque hoc te-
stimonium declinare possint. Unde apparet,
Testimonii dictio nē esse quodammodo pu-
blici Juris. *L. 22. f. d. Teſt. tot. tit. X. d. teſt. cog.*
atque ad eam homines compelli etiam invitatos
posse, quamvis advenae & Peregrini sint. *L. 16.*
& 19. C. d. probat. I. 4. ff. eod. Causa efficiens pro-
xima est citatio a Judice facta. *I. 17. C. d. fid. in-*
strum. I. 20. ff. d. probat. Qui igitur non citati
sponte se ingerunt, suspecti fiunt. *L. 25. §. 1. ff. d.*
procur. Causa impulsiva externa probationis
est petitio partis litigantis per quam implorat
Judicem, ut testes examinari ad veritatem eliciendam curet. *C. 2. & fin. x. d. teſt. cog.* Id
igitur peti a parte debet, cum Judex nisi im-
plora-

ploratus non subveniat. a. l. 8. §. 4. ff. d. damn.
inf.

¶ IV.

Testes esse possunt omnes, qui nec natura impediuntur, nec Lege prohibentur. Impediuntur autem primo *Furiosus*. Hujus enim intellectus in exilio quasi est, nec voluntatem habet. L. 40; ff. 4. R. I. Secus igitur tempore dilucidorum inter vallorum est, quo a Testimonii dictione obcessans impedimentum non arcetur. II. *Mente captus* a. §. 4. I. d. *Curat*, quod tamen ad homines simplices extendendum non est, qui utim imbecilli sint Judicio, tamen intelligendi facultate non omnino destituuntur. vid. *Farin. a. Testib. q. 16. p. 15.* III. *Mutus* & *Surdus* scil. naturalis, qui animi sentia nulla ratione exprimere potest. §. 6. I. d. *testam.* *Farin. q. 61. n. 19.* & 24. Nam si casu talis sit, fieri potest, ut literas didicerit, adeoque ad testimonium in scriptis dicendum sit habilis. vid. *Umm. ad Process. Disput. 17. th. 3. n. 7.* *Mascard. Concl. 1358. n. 24.* Similiter surdus ad deponendum de visu, & cœcus de auditu admittitur, cum utrobiusque impedimentum cesset. *Umm. c. l. n. 8.* quoties videlicet quæ perceperunt, eloqui, aut literis, nutibus, similibusque signis

gnis exprimere queunt. Hering. d. Fidejuss. C. 9.
n. 141. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 28. §. 38. IV. In-
fans & infantia proximus; Uterque enim parum a
furioso distat. §. 9. l. d. inutil. Stipul. Aliud igi-
tur dicendum est de pubertati proximis, qui
nec natura impediuntur, cum multa jam in eo-
rum intellectum illa aetate cadant, neque ulla
Lege prohibentur, sine qua tamen loqui eru-
bescendum est. Nov. 18 C. 5. l. 1. §. 1. C. d. falsi-
mon. In contrariam tamen sententiam disce-
dit. Umm. Disp ad Proc. Judic. d. 16. l. 1. & Wessenb.
ad H. tit. d. testib. ubi inidstincte impuberis
facultate Testimonium dicendi arcet. Præsi-
dium suæ Sententiae præcipuum quærerit in L. 19.
§. 1. ff. d. testib. ubi dicitur, quod pupillis non
possit denuntiari testimonium. Neque enim
Lex innuit, simpliciter omnes, qui nondum ad
pubertatem pervenerunt, a testimonii dictione
excludendos esse; Sed compelli eos haud posse,
si volentes testari nolint. Atque hunc sensum
totius Legis contextus evidenter evincit, cum
expressis recensentur verbis illi, quibus in-
vitis testimonii dictio injungi non possit. Nec
obstat adjecta ratio, quod lubricum sit consilium
in impuberibus. Quamvis enim nondum con-
firmatum habeant judicium, quod nec dum in
minoribus plerumque datur, jam tamen pu-
bartati

bertati sint proximi res intelligere, deque*iis* testimonium perhibere queunt. vid. l. 26. ff. d. fidejuss. Qvod si vero ejusmodi fuerit negotium, cuius intellectus in impuberem ob ætatis infirmitatem non cadit, haud invitus largior, ad testimonium dicendum eum admitti non oportere. vid. l. i. §. i. C. d. d. fals. mon. Lauterb. Comp. Jur. tit. d. *Test.* neque etiam omni exceptione major testis est, sed arbitrari debet Judex, quantum ipsius testimonio tribuendum sit. l. 3. §. i. ff. *Test.* Dn. Menken. Tr. Synopt. Pand. Tit. d. *Test.* p. m. 328. Multo minus dubitandum est, posse puberes factos testimonium perhibere de *iis*, quæ in pupillari ætate facta, & ab ipsis tum temporis intellecta sunt. a. l. 14. ff. ad. Syllan. l. i. §. i. ff. d. *Test.* Carpzov. P. i. C. 16. d. 55. Dec. in l. 2. ff. d. R. J.

§ V.

Vidimus hactenus, quinam impedian-
tur testimonium dicere; nunc quibus obstet
Legis prohibitio, exponendum est. Prohi-
bentur autem alii simpliciter seu in totum, alii
secundum quid seu certo respectu. In totum
prohibentur primo *infames*; non tamen jure
civili omnes, sed sicut tantum, qui specialiter ab hac
B *testi-*
iii.

testificandi facultate exclusi sunt; nempe damnati propter carmen famosum. *I. 21. ff. eod. ob adulterium. L. 18. ff. eod.* Crimen repetundarum *L. 15. pr. ff. eod.* Secus autem est de Jure Canonico, quo promiscui infames, qui infamia Juris laborant, a testimonio dicendo repelluntur. *C. 13. 34. X. d. test. O. Cart. 73. Lauterb. Concl. For. Ex. 19. tb. 14.* Infamia facti vero non omnino a testimonio dicendo hodienum arcet, ut ut ejusmodi testimonium non sit omni exceptione majus; præcipue negotiis majoris præjudicii; ut puta in Criminalibus. *C. 5. X. d. Testib. I. 3. ff. eod.* & hoc ita in praxi servari, testantur *Hunn. ad. Treutl. tb. 8. Disp. 5. Lit. B. C. Fab. in C. l. 4. t. 15. de 45. n. 1. Schneiderv. ad. §. fin. l. d. Cap. dim. Umm. ad Proc. Disp. 16. f. 21. n. 9. in fin.*

§. VI.

In totum prohibetur testimonium dicere, qui ob delictum Senatu moti sunt. *I. 2. ff. d. Senat. Lauterb. Comp. Jur. tit. d. test.* Item perjurii. Qui enim semel malus, semper in eodem genere delictitalis præsumitur. *C. 8. d. R. J. in 6. l. 7. §. 3. ff. accus. add. C. 54. §. 1. X. d. Test. Bocer. tb. 26. lit. B.* Qvod tamen limitandum puto, nisi

nisi seria facti paenitentia ejus turpitudinem eluerit. cit. C. 54. Mejer. Coll. Argennorat. tit. d. test. §. 64.

§. VII.

Secundum quid a testimonii dictione aliqui repelluntur vel ob causae, vel ipsarum personarum Qualitatem. Respectu *Causa* non potest esse testis (1) *Fœmina* in Testamento ob Solennitatem juris, quæ hic adhibenda. §. 9. 1. d. test. ord. 1. 20. §. mulieri. ff. d. testam. Cujus dispositionis ratio sine dubio a veteri more dependet, quo condi solebant testamenta apud Romanos in publicis Comitiis, a quibus *Fœminæ* excludebantur. s. 2. §. 3. 1. d. *Testam. Hunn. ad Treutl. disp. 5. Vol. 2. tb. 8. tit. E. Vultei. ad s. sed neque f. d. testam.* Similiter arcentur in Causis feudalibus 1. F. 32. in fin. In reliquis igitur obcessantem prohibitionem testandi facultatem habent, puta in Codicilis, testamentis ad pias causas, inter liberos. In his enim Juris Solennitas haud reqviritur. 1. 20. §. 6. ff. *Qui testari fac. poss. Mascard. concil. 763.* item in contractibus adhiberi possunt. a. 1. 18. ff. d. *Testam. Umm. ad Proc. disp. 16. tb. 4. n. 29.* Sed quid de Criminalibus dicen-

B. 2

dicendum, an hic muliebre testimonium admittendum est? De jure Civilis est expedita, per *I. 20. §. 6. Qvi test. sat. L. 18. ff. d. test. Clar. 5. Sent. §. ult. q. 34. n. 2. Lauterb. Comp. Jur. tit. d. test. p. 432.* & de jure hodierno testatur *Carpz. P. 1. C. 16. d. 52.* Sed an idem jure Canonico permisum sit, in eo definiendo in contrarias partes distrahuntur Juris Interpretates. Verior autem affirmativa est per *C. 2. XV. q. 3. & C. 33. X. d. test. Dec. in I. 2. ff. d. R. I. Bachov. ad. Tr. Vol. 2. Disp. I. t. b. 8. lit. E. Vigl. in §. Testes. 6. I. d. Testam. ord. n. 6. Lauterb. Comp. Jur. tit. d. testam.* In testamentis quoque non admittuntur *Prodigi. §. 6. I. d. test. ordin.* unde ab aliis negotiis ob praesentem Legis prohibitionem haud repelluntur, quanvis eorum testimonium non sit omni exceptione majus. Facile enim corrumphi posse videntur. vid. *I. II. §. 1. ff. d. dol. mal. Dn. Menken. Tr. syn. Pand. tit. d. Test.* Præterea minores, nisi vigesimum ætatis annum excesserint, in Criminibus non admittuntur. Quod tamen de Accusatore, non reo intelligendum. Huic enim ab favorem, quem meretur, innocentiam suam etiam hujusmodi testibus deducere licet. *I. 20. ff. d. test. Carpz. p. 3. q. 114. n. 43.* quod obtinet etiam in Crimine læsa Majestatis. *I. 10. §. 1. ff. d. Ques.* imo in omni graviori causa, ubi veritas aliter

aliter haberi non potest. a.d. L. Carpz. d.l.n.42.
Qvæ vero Personæ in criminē L. Julieæ de vi te-
stimonium contra reum dicere prohibeantur,
ex recensentur in L.3. §.5. d. Tēſt.

s. VIII.

Videamus jam, qvinam ob Personarum
peculiarem qualitatem prohibeantur esse testes.
Perinent autem huc Omnes in Causa propria.
t.10. ff. 5. C. d. tēſt. Carpz. P. q. 120. n. 50. Causa
autem propria dicitur, ex qua commodum vel
incommodum ad aliquem pervenire potest. l. i.
§.11. Qvand. appell. Carpz. l. 3. Rsp. 58. n. 4. seq.
Wurmser 4. Obs. 1. licet per accidens tantum con-
tingat, ut si quis me in testamento hæredem
scribat. c. 40. X. d. tēſt. Et eiusmodi testis non
solum non admittendus est, sed etiam, si admis-
sus fuerit, ejus testimonium effectu destituitur.
Bald. in. l. omnibus. C. d. tēſt. verb. dicendi testimon.
Farinac. d. Tēſt. Qvest. 60. Qvicquid dissen-
tit Jo. Andr. in C. exparte X. d. tēſt. Accetur
igitur ob interesse pecuniarium hæres in te-
stamento. §.19. l. d. testam. ordin. l. 20. ff. Qvite-
stam. fac. poss. item fidei commissarius universalis
Hic enim loco Hæredis est, & in effectu omne

B 3. 1602 emo-

emolumen tum ad ipsum pertinet s. 3. l. d. fid.
bared. Qvnd in fideicommissario particulari
& legatario secus est; qui proinde recte admittuntur. a. §. II. l. Test. ord. Ob eandem Causam
repellitur etiam is, cui bon. poss. secund. tabb. de-
fertur. l. 2. ff. d. bon. poss. Lauterb. Comp. Jur. tit. d.
test. Venditor in Causa rei venditæ, qvia
emtori ad evictionem præstandam obligatus
est. l. 4. §. 3. ff. d. appell. Lanfranc. d. testam.
num. 66. Sich. ad. tit. C. d. test. num. 8. Secus
igitur, est, cum ad evictionem non est obstrictus
Carpz. P. 1. C. 16. l. 68. Judicis tamen arbitrio
continetur, quantum ejus testimonio tribuen-
dum sit. Menoch. Arbitr. Quest. l. 2. Cas. 478. n. 4.
§. 6. Mastard. d. Probat. concl. 357. n. 21. F. 3. Credi-
torum cum pignoris ipsi dati causa ventilatur. Ejus
enim interest, pignus non a tertio qvodam evin-
ci, cum melius sit, rei incumbere, qvam in per-
sonam agere a. l. 4. §. 4. ff. d. Appell. Secus igitur
est in aliis causis, qvæ creditorem non tan-
gunt; in iis enim recte admittitur. vid. Carpz.
l. c. 16. d. 67. Debitoris tamen pro Creditore
testimonium non est omni exceptione majis,
qvia ob creditum acceptum favere ei magus
prælumitur. Plane autem repudiari non
potest a. l. 1. §. 1. ff. D. Menken. Tr. Syn. P. d.
test. Socius in causa Societatis. a. l. 10. f. ff.
d. Ap-

d. Appell. Alberic. de Maled. d. test. C. 1. n. 22. Schenk.
Tr. d. test. n. 57. Nec quicquam refert, Societas
omnium bonorum sit, an tantum particularis,
utrobius enim causa commune negotium
tangit. vid. Mascard. d. Probat. l. 3. concl. 312. n. 1.
Ex eadem causa repellitur quoque consors li-
tis. vid. Mer. P. s. d. 65. Et correus, in causa
correalem obligationem concernente. Secus
igitur est, si correorum alter alia actione e.g.
injuriarum conueniatur; tum enim correus
recte ad testimonium ferendum admittitur.
a. l. 10. ff. d. auob. reis. add. Carpz. l. 3. Resp. 88.
Præterea singuli ex universitate non sunt
idonei testes, quando causa universitatem con-
cernit, & commodum vel damnum inde ad
singula civitatis membra redundaturum est.
l. 10. ff. d. test. unde aliud dicendum, cum
affactus Causæ, quæ agitur, ad rotam univer-
sitatem, non vero ad singula ejusdem mem-
bra pertinet, tum enim singuli non prohiben-
tur esse testes, cum ipsos sigillatim spectatos
negotium haud tangat Carpz. Proc. 1. l. 16.
d. 65.

S. IX.

Et directe quidem tangat oportet, nonde-
mum

mum per consequentiam, Ita recte admittuntur, qvoties controvertitur de jure civitatis ad eum effectum, ut universitas cerevisiae braxationem & venditionem prohibere queat, vi Ord. Prov. d. A. 1555. t. Brauen Schenken / vid. Dn. Menken. Tr. Syn. Pand. tit. d. test. Ob simile interesse, qvod gratia vocari queat, repellitur Donator, cum de evincenda re donata agitur. Voluit enita donator in donatarium transferre rei dominium, unde ne pereat ipsi gratia, qvam apud donatarium ambiebat, & ad cōtriduā obligatio, præsumitur in favorem ejus testimonium dicturus esse. l. 4. f. ff. d. appell. Mejer. Coll. Argentor. tit. d. test. §. 7.

S. X

Propter interesse existimationis, honoris, & laudis, a testimonii dictione repellitur I. Procurator, qvando agitur de negotio, qvod nomine alterius administravit. l. f. ff. d. Testam. Carpz. P. 1. C. 16. d. 57. 2. Index, cum de facto ipsius agitur, ut cum qvarerit: An executionem recte fecerit? Haec tenus enim propria est ipsius Causa, de qua testari non potest. l. 6. C. d. post. Secus igitur est in iis, qvæ a partibus sunt in judicio gesta, ubi testimonium Judicis meretur

retur fidem. c. 14. X. d. test. In Saxonia etiam quando Nobilis cum subditis suis coram proprio judicio litigat, prætori atque officiali ejus, qui in præsentia subditorum mediante juramento legitime constitutus est, in iis, quæ propria manu ad Acta scripsit, plena fides habetur. Is enim jurisjurandi, quo se adstrinxit, memor esse, atque adeo Nobili plus justo favere, eiique in præjudicium subditorum addictus esse, haud intelligitur. *Ord. Proc. Sax. Tit. II. §. Ob wir auch.* B. Ziegler. in *Not. ad cit. §.* Quid vero si in Processu Inhibitivo Magistratus inhibitus partitionem per ejusmodi registraturam, quam vocant, ab Actuario suo confessam docere velit? Cui testimonio utrum credendum sit, adeoque illud vicem Instrumenti publici a Notario conditi subire queat, nuper in Judicio Curiæ Provincialis, quod Vitembergæ habetur, dubitatum fuisse, animosque in contrarias plane partes distractos intellexi. Pro affirmante sententia potissimum facere videtur argumentum ex memorato Textu *Ord. Proc. ductum.* Quod si enim eo in casu, quem Serenissimus Legislator definit, & quo causa inter Magistratum & subditos coram proprio illius judicio ventilatur, Prætoris & Actuarii fides intemerata esse creditur, quæratio, quæsio, moveat, ut eandem in du-

C bium

bium vocemus, cum Magistratum, a quo ipse ad Acta rite constitutus est, inhibitioni paruisse restatur? Idem favor ac præsumtio, eademque plane ratio, jurisjurandi nempe præstigi religio, hic militare videtur; Ut hinc dispositionem illam ad præsentem casum producendam esse, merito existimes. Arg. l.32. ff. Ad. L. Aquil. præsertim cum de pœna irroganda, & inhibitione confirmanda, adeoqve de materia odiosa hic agi, in aprico sit. Enimvero pro negante sententia illud præcipue facit, qvod regulariter & Jure Communi, ea, qvæ coram proprio judicio geruntur, in favorem judicis tanquam in causa propria, invalida sint. Quo-circum memorata depositio Ord. Proc. Jus aliquod exorbitans complectatur, strictissime capienda, adeoqve ad eum solum casum, qvem expressis verbis exhibet, restringenda esse videtur. Arg. cap. 8. X. d. Conf. ver. Gail. I. C. 50. n. 8. Neqve vero quisquam facile non videt, ac intellegit, disparem esse casum, quo Magistratus subditis suis actionem intentat, & quo ipse convenitur, atqve ob factum turbativum emissæ inhibitione paruisse demonstrare debet. Et sane apud neminem affirmative hanc Qvæstionem decifam me legere memini; cum ex adverso negativæ opinioni disertis verbis adstipuletur.

Carpz.

Carpz. Tr. d. Inhibition. cap. V. §. 20. & testimonium a proprio Judice vel Sculteto petitum pro domestico habeat. Add. Nicol. Boër. *Decis. 37. §. 5.* *Paul. de. Castr. Conf. 42..* Qvamvis ego qvidem, qvo minus mihi hujus controversiae arbitrium sumam, modestia, & ingenii mei tenuitate prohibebar; & fortasse cum æqualibus in ipso conflictu liberior hac de re ediserendi campus aperietur. *3. Notarius*, qvando impugnat validitas instrumenti, qvod conficit, ob solennitates neglectas. *R. I. d. A. 1512.* *§. 2. vobis Notariell. Carpz. P. I. C. 16. d. 63.* *4. Tutor in Causa pupilli*, durante nimirum tutela. Idem in Curatore obtinet, qvi testimonio dicendo in favorem curæ gestæ repellitur. *Carpz. P. I. C. 16. d. 57.* qvod tamen in eo casu limitandum, qvo causæ periculum ad Curatorem haud pertinet, puta si ad eam causam aliis Curator datus sit. *Carpz. I. 3. Resp. 91. n. 12. seq. 5.* *Advocatus in Causa clientis*, qvam tractavit. *I. f. ff. d. test. C. f. d. test. in 6. Carpz. P. I. C. 16. d. 50. n. 11.* qvod officio citra fraudem deposito secus est; Urut testimonium ejus non omni exceptioni majus sit. vid. *Carpz. I. 3. Resp. 92. n. 19.* Pari ratione arcentur defensores Ecclesiistarum in casu, qvem memorat. *c. 6. X. d. test.* Interim possunt ex adverso Patronis suis testimonium recte denunciare, neque

hi testimonii dictionem declinare queunt. l. 10.
 §. 8. ff. d. jur. fisc. Carpz. l. 2. Resp. 92. n. 7. 6. Arce-
 tur *socius* ejusdem criminis, ob spem liberatio-
 nis ex parte sui quoque futuræ. c. 10. X. d. test. l. 10.
C. d. test.

S. X

Vidimus hactenus personas, quæ ob pro-
 prium interesse a testandi jure removentur. Sed
 & propinquitas nimis arcta ab eodem excludit
 Parentes & liberos; idque ob ardentissimum,
 quo se invicem prosequi præsumuntur, affectum.
l. 9. ff. d. test. five primi, five posterioris gradus
 sint. Sicut enim parentum appellatione o-
 mnes Ascendentes intelliguntur. *l. 15. ff. d. V. S.*
 sic liberorum appellatio omnes descendentes
 complectitur *l. 220. ff. cod.* Et ob rationis iden-
 titatem ad illegitimos etiam Parentes liberos
 que recte applicare existimo. vid. *Mascard. tr. d.*
prob. l. 3. Concl. 1148. num. 8. seq. & de iis quo-
 que personis capiendum, quæ in affinitatis Li-
 nea recta constitutæ sunt. *a. l. 4. ff. d. test.* Ad-
 mititur tamen Parentum testimonium in
 probanda liberorum ætate, *a. l. 16. ff. d. probat.*
Nell. d. test. num. 7. Campeg. tr. d. test. reg. 1. 2. Si
 filius testamentum condat de peculio cafre-
 si; in

si; in hoc enim non ut filius, sed ut Paterfa-
mil. consideratur. l. 20. s. 2. ff. Qui test. fac.
Schenk. d. test. num. 20. Atque hanc commu-
nem esse sententiam, tradit *Mascard.* d. Probat.
l. 13. concl. 1148. num. 20. 3. In causa matrimonio-
nali c. 22. X. d. test. *Gabriel.* d. test. concl. 9. *Habn.* tit.
d. test. p. 104. Fratres vero regulariter non pro-
hibentur esse testes. N. 18. c. 5. l. 1. §. 1. ff. d. test.
Carpz. l. 3. *Resp.* 89. n. 33. dummodo cesseret patria po-
testas, bonorum communio & cohabitatio. *Dns.*
Menck. t. d. test. in criminalibus tamen Jur.
Can. arcentur l. f. C. d. probat. Neque etiam a-
lias eorum testimoniorum omni exceptione ma-
jus est. a. c. 14. X. d. present. *Schenck.* tr. d. test. n. 30.
Auf. d. *Reprob.* test. n. 25. vers. 5. Sed & contra fra-
tres produci testes nulla Lege prohibentur. vid.
l. 1. §. 1. ff. d. test. l. 4. cod. 2. Prohibentur *Vas-*
salli contra Dominum in criminalibus testari,
idque sub poena amittendi feudi. u. F. 33. §. 1.
Secus igitur est in causis civilibus, ubi testimo-
nium ipsis contra Dominum dicere permisum
est. *Struv.* s. 1. F. 11. a. 3. n. 4. 3. *Libertus* contra
Patronum testari prohibetur. l. 12. C. d. test. Ne-
que obstat. l. 4. ff. d. test. Ubi non de libertis,
sed Patronis sermo est, qui contra libertos si-
velint, testari queunt, cum ratio pohibitionis,
non potest. *Co.* p. 1. *G. zoigis.* 1. *Wolff.* utri-
usque

tributum nempe inestimabile Libertatis beneficium, ex parte ipsius cessebat.

§. XII.

Prohibentur etiam quædam personæ esse testes pro iis, quibus competit in ipsas Imperia. Quo pertinet *Uxor*, quippe quæ Viro est subjecta. Quam rationem prohibitionis, quæ principaliter spectatur, confirmat affectus, quo maritum prosequi censetur, cum quo in individuam vitæ consuetudinem conspiravit. *I. ff. d. R. N. add. I. 22. §. 7. ff. sol. matr.* Id igitur in sponsa haud largior, cum in hanc maritale Imperium ante nuptias exercere non possit, quicquid in contrarium urgeant. *Campeg. d. Test. reg. 10. Mascal. d. probat. I. 3. Concl. 1420. n. 4.* & hanc communem ampliationem vocat *Farinac.* *Tr. d. test. L. II. Q. 54. n. 215.* Multo minus ad concubinam extendi potest, quod tamen idem *Mascal. vult. d. I. n. 216.* cuius sententia non jugatur per id, quod utroque eadem videatur militare ratio, affectus nempe, qui in utroque casu adsit. Is enim solus nullibi inter causas prohibitionis relatus est; Prohibitionis fundamentum est imperium, quod in utroque hoc casu deficit. Largior tamen, ob concurrentem affe-

affectum tale testimonium non esse omni exceptione majus. Ex dictis apparet, Maritum pro uxore recte testari, nisi aliud specialiter receptum sit. *Brunnem. Proc. Civ. C. 20. n. 10.* Contra maritum Uxor, & contra hanc ille volens admittitur. *Carpz. l. 3. Resp. 89. n. 32. & Proc. c. 13. a. b. n. 25. 11.* Arcentur etiam ob imperium Servi, mercenarii, liberti, & similes Personæ, ac generaliter omnes domestici, pro iis testimonium dicuntur, quorum imperio subsunt. *l. 52. §. 2. ff. a. edit. Ed. l. 3. C. d. test.* Qvod fallit si utrique parti, Actori & Reo, sint domestici. *Carpzov. l. 1. c. 16. d. 56. num. 6.* Item quando negotium domesticum probandum est. *a. l. 8. §. 6. C. d. repud.* *Carpz. d. C. §. 54. 3.* Cum alii testes per ipsam negotii indolem deficiunt; adeoque veritas aliter haberi non potest. *Carpz. d. l. add. d. l. 8. §. 6. C. d. repud. 3.* Subditi pro Dominis suis. *l. 6. ff. d. test.* Qvj tamen hodie post relaxatum ipsis a Superiore vel ejus mandatario ad id speciale mandatum habente jumentum, quo ipsi tenentur, recte producuntur. *Carpzov. l. 1. C. 16. d. 64. Dn. Svvend. ad Fib. Proc. p. 1441.* Ad quam relaxationem faciendam Superior etiam invitus compelli potest. *Dn. Svvend. c. 1.* Quamvis si verum ingenue facter libet, ejusmodi relaxatio superflua esse videa-

deatur ; cum vinculum , qvo subditi Magistrati suo adstricti sunt , cesseret , quando a superiori , vel alias in Judicio ab ipsis veritatis depositio exigitur . Unde has ambages a Collegii JCtorum hodie haud amplius anxie reqviri , Dn. Præses monuit.

§. XIII.

Excluduntur etiam a testimonio , qvi gravem inimicitiam contra partem , adversus quam testes producuntur , fovent , utsi inter testes & partem adversam lis capitalis fuerit . Nov. 90. c. 7. Præsumtio enim contra inimicum semper militat , qvod insidias struat adversario , & damnum ipsi inferre cogitet , atque adeo jurisjurandi religionem facile post odium habiturus sit . M ascard. d. probat . Conclus 1248. n. 107. Umm. ad Proc. disput. 16. tb. i. n. 4. Qvod si autem inimicitia non sit singularis , testimonium , sed cum facultate adversus illud excipiendi , admittitur . L. 3. ff. d. test. Praeterea inimicus etiam tum repellitur , quando mutua utriqve est inimicitia . a. l. 67. §. 1. ff. d. R. N. Carpz. P. 1. C. d. 56. n. 6. Cæterum præsumitur inimicitia r. in Laico , qvi adversus Clericum in causa criminaliter testari non potest . c. 14. X. d. test. Ra-

Ratio autem, ob quām jus Can. inimicitiam præsumit, sunt privilegia, ob quās sibi concessa Clerici Laicorum odium incurrisse censentur c. laicor. Caus. 2. qvæst. 7. Umm. d. l. n. 16. Secus tamen est, si veritas aliter haberi non possit, ut si eo in loco crimen commissum sit, ubi clerici versari non solent. *Mascard. Concl. 1358. n. 44. f. 99.* Imo ista præsumtio jure hodierno plane non attenditur, nisi de odio aliunde certo constet. *Brunn. Proc. Civ. c. 20. n. 11. 2.* Repellitur 2. *Hæreticus & Judeus contra Christianum in judicio testimonium dicturus. l. 21. C. d. heret. Artb. Credentes C. eod.* Inter homines vero sui generis idonei testes sunt. *Farinac. d. test. q. 56. num. 216.* Jure tamen Saxonico audiuntur duo Judæi cum teste Christiano adversus Christianum producti. *Coler. P. I. dec. 127. Weitb. bld. art. fin. add. Schilt. ad Pand. Ex. 35. §. 23.* Similiter in extra judicialibus actibus, ut & judicialiter pro Christiano recte adhibentur testes. *Brunnem. ad l. 21. C. d. heret.* Præterea a testimonio excluduntur, qui convicti sunt, quod ipsis data, vel saltem promissa eo nomine sit pecunia. *l. 17. C. d. test. l. 3. §. 5. ff. eod.* & denique etiam homines vilissimæ conditionis arbitrio judicis vel plane repelluntur ob suspicionem, vel saltem non omni exceptione majus est eorum testimoniū.

D

mo-

monium. l. 3. pr. ff. d. test. Nov. 99. l. 10. ff. d. accu-
sat. Lauterb. Com. Jur. tit. d. test. p. 434.

§. XIV.

Objectum seu Materia, de qua testimoniū dicendum, sunt varii generis negotia, testamenta, contractus, denique omnia negotia, ad quæ probanda depositio testium pro insufficienti non est declarata. Ubi cautus debet esse actor, ut indeolem negotii probe consideret, & probandi modum iddaget. Neque enim in quolibet actu quævis probandi ratio admittitur. Ita in Causa ingenuitatis probanda soli testes non sufficiunt, sed instrumentis aliaque ratione juvandi sunt. l. 2. d. test. Hoc est, non satis est, nuda assertione se ingenuum profiteri, atque ad eam confirmandam testes produci; Sed alia quoque indicia, puta facta, ex quibus argui ingenuitas queat, afferenda. vid. Meier. Coll. Argentor. tit. d. test. n. 11. Neque huic sententiæ obstat. l. 15. E. d. liber. Caus. Ex illa enim lege nihil aliud elici potest, quam omnem legitimam probationem admittendam esse, quæ autem legitima sit, ex dispositiōne Legis latoris dependet. Reliqvos Casus, quibus testes non sufficiunt. vid. apud. Meier. Coll.

Argent.

Argent. t. d. test. §. n. p. 1312. De cætero materia specialis testium sunt articuli propositi, & solet hodie directorium fieri, ut appareat, qui testes, & super quibus articulis examinandi veniant.
Gail. I. 0. 96. n. 7. & solent a parte adversa citata interrogatoria fieri, ad quæ testes itidem examinandi sunt. Extra articulos vero atque interrogatoria deponentibus testibus tanquam non juratis non habetur fides. *Qvemadmodum* vero probatio necessario per Articulos fieri debet, ita caveat sibi actor, ne facile demonstrationem, die *Bescheinigung* / articulis includat; Hoc enim modo adversa pars consequitur facultatem, dandi interrogatoria; quod secus est, si citra articulos summariter testes deponant. In quo notable discrimen probationis & demonstrationis consistit; in eoque di-judicando saepius incautos esse Advocatos, animadvertis. Add. *Wesentl. tit. d. test. n. 4.*

§. XV.

De numero testium ex negotii, de quo agitur, natura judicandum est. Ita in testamentis reqviruntur septem; in Codicillis quinque sufficiunt. Ubi insignis cautela notanda est, ut, si quis ex testamento acturus animad-

D 2

vertat,

vertat, sufficientem numerum testium haud adesse, clausulam tamen Codicillarem testamento contineri, actionem non præcise ex testamento, qvatali, sed ex clausula Codicillari moveat; Alias enim si in actione ex testamento actor succubuerit, non potest deinceps ex clausula Codicillari agere per L. notabilem ult. C. de Codic. & vice versa. Quid vero si actor non fecerit mentionem testamenti, sed in genere ex dispositione egerit, qværitur, an deficientibus testamento requisitis, vi clausulae Codicillaris sustineatur? Qyod ob favorēm conservandarum ultimarum voluntatum affirmative in Collegio Juridico Vitetibergensi superiorianno in cassu der Ohne contra Schulzen decisum, & deinceps, intentia per Leuterationem suspensa, a Facultate Juridica Lipsiensi confirmatum esse, Dn. Præses meminit. Ad fidem autem in Judicio plenam faciendam duo regulariter ad minimum testes reqviruntur. Leg. 12. ff. d. test. five in Causa civili, sive in criminali. C. 28. X. d. test. Mysing. resp. 42. n. 9. idque jure etiam Saxon. obtinet. Textus enim Land R. l. i. art. 8. ubi in Causis gravioribus, puta criminalibus, septem testes reqviruntur, per contrariam consuetudinem abrogatus est, de qya testatur Reinhard. Differ. Jur. Civil. & Sax. Lib. II. P. 4. d. 62. Secus est

est, si plures testes in aliquibus casibus Lex ipsa specialiter desideret. vid *Vasq. i. Contrav. num. 3.* *Umm. Disp. 16. tb. 6. n. 42.* *Donell. ad L. 9. C. d. test. p. 192 seq.* Huic sententiae obstare videtur *C. 10. X. d. V. 5.* ubi tres in omni negotio reqviruntur testes. Sed respondetur, verba illa terminate esse accipienda, qvod nempe in nullo negotio facile opus sit, plures querere, quam tres testes. *Met. Coll. Argent. t. d. test. n. 14. p. 1313.* Unus vero testis regulariter plenam fidem non facit, cum facie sit unius lapsus. *L. 9. f. 1. C. d. test. quamvis praeclaro curiae honore fulgeat. d. l. 9. Zoef. Comment. ad Pand. tit. d. test. n. 21.* Casus tamen, ubi etiam unus testis plene probat, ea, qva solet diligentia collegit. *Dn. Pres. in Diff. d. Probat. plena per unum testem.* Utrum vero unus testis regulariter plane a Judicio repellendus sit, an ad eum effectum audiendus, ut semiplenam probationem faciat? in eo definiendo in contrarias sententias distrahuntur Juris interpretes. Sed vera est sine dubio affirmativa. *L. 9. §. 1. C. d. test. § C. 10. §. 23. X. d. test.* & hanc tenent praeter alios *Carpzon. P. 1. C. 23. d. 4. num. 5. § d. 5. Anton. Fab. in Cod. l. 4. tit. def. 4. num. 8. Myns. Cent. 1. Obsrv. 68. d.* Hanc sententiam impugnant præcipue *Donell. c. ii. § Duar. 2. Disp. 33.* hoc Dilemma utentes; Aut Actor probat, aut non probat.

D 3

probat.

probat. Priori casu sine ullo juramento vincit. *l. 9. C. d. O. & A.* Posteriori casu reus absolvitur secundum regulam: Actore non probante, Reus absolvitur. *l. 4. C. d. edend.* Sed respondeo, sine Juramento vincere Actorem, cum vere & plene probavit; & sic capienda est. *l. 9. C. d. O. & A.* Secus igitur est, cum tantum semiplene probavit; tum enim intuitu probationis neque vincit ormannino, neque succumbit, adeoque quod probationi sua imperfectae deest, supplet Juramento. *Sichard. ad l. 3. n. 11. seq. C. d. Reb. cred.* Et quidni juramento hic locus sit, cum deferri juramentum necessarium oporteat, quoties probationum est inopia? Multo magis enim admittetur, ubi aliqualis, utut non omnimoda probatio adest. Nihil est, quod regerit *Donell.* paria esse injure, non probare, & imperfecte probare. Id enim tantum de Effectu capiendum; quod nempe reum ex imperfectis probationibus condemnari non oporteat. Quod ait: Non posse perfectum aliquod ex duobus imperfectis nasci, illud non ita simpliciter capiendum esse, vel ex eo liquet, quod alias inde secuturum esset, ne quidem duorum testimoniis omni exceptione majorum testimonij perfectam probationem producere; cum & illud ex duobus imperfectis, testimonio minimorum

rum duorum testium sigillarim spectatorum
oriatur. *Sicbard. ad l. 3. num. 12. C. d. Reb. cred.*
Adde Gomez. 3. Umm. cap. 13. n. 7. Neque obſt.
L. 9. C. d. test. Ubi dicitur, qvod *unius testimoniū*
nemo iudicium in quacunq; Causā facile pa-
tiatur admitti. Hæc enim verba capienda sunt
eo sensu, ut non admittatur unius testimoniu-
m ad effectum ferendæ sententiæ ; qvo ipso
non excluditur ejusdem admisſio ad effectum
imponendi juramentum suppletorium ; Neque
aliter accipienda est *l. 1. §. 4. ff. d. test. c. l. 9. §. 7.*
C. d. test. ubi unus testis non dicitur audien-
dus esse ; qvam *Mej. Coll. Argent. tit. d. test. n. 14. p. 1313.*
frustra ita accipit, qvæſi plane arcendus sit u-
nus testis. Qvod enim *Mej.* ait ; a vulgata
acceptione non esse recedendum, niſi necessi-
tas urgeat ; fatis apparet, nostram sententiam
confirmari ; cum hic utiq; subsit necessitas, ut
i; ex Legibus ſupra allegatis, & hactenus dictis
apparet, ne videlicet plane nullus effectus huic
testimonio tribuatur. Inſtat : Qvod pro com-
muni ſignificatione id qvoq; faciat, qvod *Judex*
nihil fruſtra facere debeat ; jam ſi unus ſolum te-
ſis perhibeat testimonium, & nullus præterea
accedit, tum fruſtra testimonium perhibuſſet,
qvia ipsius depositio fidem non mereatur. Neq;
enim

enim actus est frustraneus, qvo unum testem ju-
dex admittit; qvamvis enim non plenam me-
reatur fidem, tamen semiplenam probationem
facit; qvi effectus a Judice negligendus haud
est. Frustra idem allegat l. 20. ff. d. Qvest. ubi
qvi depositum petebat, unum testem produxe-
rat, & qvæstionem præterea de Ancilla haberí
voluerat; qvæ tamen qvæstio illicite dicitur su-
fisse habita, qvod dici non posset, siqvideum u-
nius depositio semiplenam probationem, at-
que adeo indicium ad torturam sufficiens face-
re posset. In dicta enim Lege non de quo-
cunq; teste sermo est, sed de eo, qvi suspectus,
neq; omni exceptione major erat; unde non
statim, nisi aliis adminiculis accedentibus, ad
torturam perveniendum erat. add. l. 21. C. ad. L.
Corn. d. fals. Nov. 73. c. 7. §. 1. Jul. Pac. in Comm. l. 9.
§. 1. d. test p. 8.

§. XVI.

Forma producendi testes alia eraf jure ve-
teri, alia jure hodierno. Olimis, cui probandi
onus incumbebat, petebat a judge, ut sibi po-
testas producendi testes fieret, & simul dilatio
ad eos conqvirendos daretur. Convocabat is
deinde ad se eos, qvorum testimonio volebat u-
ti, eos-

ti, eosque intra statutum tempus deducebat ad judicem, renitentes vero ad comparendum adigi a judge curabat. *Nov. 10. C. 9.* Neque vero omnes testes uno tempore producebantur, sed productiones siebant plures, & singulis quidem diebus singulæ. *Hillig. 25. C. ult. Cujac. ad Nov. 94.* Qvæ productionum multiplicatio eo faciebat, ut si qvi testes in una productione tanquam inhabiles rejicerentur, alios deinde conquirere & producere liceret. Post renunciationem ulterioris productionis factam testes a judge jurisjurandi religione adstricti ad ea, qvæ interrogabantur, respondebant, partibus præsentibus. *Nov. 90. C. 8. c. 2. X. d. test.* ibique *Cujac. Hillig. 25. Cap. ult.* hoc dicitur in *Novell. 90. c. 4. in qua eis etiam magistras. Mej. Coll. Argent. tit. d. test. n. 16.* Qvod si propter legitimum impedimentum absuisset is, qvi productiones fecerat, neque ex oppositionibus partis adversæ satis cognoscere vim probationum potuisset, ad quartam productionem admittebatur. vid. *Mej. cit. l.*

§. XVII.

Qvænam forma hodie in producendis & examinandis testibus servetur, supra jam gene-

E raliter

raliter notavimus. Nempe is , cui probatio facienda est, ea, qvæ probanda sunt, certis articulis includit, adjuncto directorio testium ; eos deinde judici offert, annexa petitione, ut communicentur ad interrogatoria formanda adversæ parti, eaque citetur ad præstitutum terminum, quo fieri testium examen debeat. Citantur deinde a judice testes, si ejus jurisdictioni subsunt, vel in subsidium, si sub alio sint judice. Citatur qvoqve adversa pars , ut in termino præfixo compareat , videatqve produci & jurare testes ; contra qvos interrogatoria, si velit, exhibeat, & contra eorum personas exceptiones opponat. *Dn. Stryk. Intr. ad Pr. For. c. XVII. §. 2. & 3. Brunn. Pr. c. 30. n. 47. & 49. Dn. Svend. ad Fib. Proc. c. 1.*

§. XVIII.

Cæterum in eo qvoqve cautus debet esse actor, ut in dolem Processus, utrum is ordinarius, an summarius sit, probe dijudicet. In illo enim plena perfectaqve probatione eum instruendum esse oportet, cum ex adverso in summario aliquando v. gr. in possessorio Summarissimo, qualis cunque probatio informatoria , etiam imperfecta, sufficiat. Unde cum ordinario Proces-

Cessu ad minimum duo testes omni exceptio-
ne maiores, iidemque jurati adesse debeant, in
summario regulariter unus testis juratus suffi-
cit, imo si tumultus, aliudve periculum intex
partes oriatur, etiam injurati duo testes ad-
mittuntur; per expressam *Decis. Elect. Sax. I.*
Add. Finckelthas. Obj. 32. Carpz. I. Resp. II. num. 7.
Aliasvero, & qvoties judicium semel, partibus
citat, formatum est, non facile testibus, nisi ju-
ratis, fides habetur. *Add. Grep. Lib. I. Conclus. 7.*
n. ult.

§. XIX.

Caveat qvoque actor, ne si in possessorio
succubuerit, instituto deinceps petitorio, rotu-
lis iisdem, qvos in summario adhibuit, utatur.
Cum enim hi citra Juris solenitatem, & an-
tegressam partis adversæ citationem, forma-
taqva ab eadem Interrogatoria, condi soleant,
fidem in petitorio, vel alio Processu ordinario,
ubi probationes plene & observata forma a Le-
ge præscripta, conficiendæ sunt, nullam inven-
niunt. Secus ergo est, si testes rite, & altera
parte ad videndum jurari, & dandum inter-
rogatoria citata, examinati fuerint; tunc enim,
qvo minus eorum depositiones etiam in Ordinario

nario fidem faciant, nulla ratio apparet. Add.
Gail. i. Observ. 103. n. 4. Post. d. Manut. Decis. 80.
num. 9.

§. XX.

Quid vero, si actor rotulum partis ad-
versæ, qvo hæc in possessorio obtinuit, dein-
ceps contra eandem in peritorio producere ve-
lit, an audiendus est? Qvod sine dubio affir-
mandum esse existimo; cum reus non possit
rejicere depositiones testimoniū, qvas semel ap-
probavit; sive cum Juris solennitate, sive citra
eandem factæ sint; & hunc in modum nuper
admodum ab Inclito Collegio Juridicq, qvod
hic Vitembergæ est, pronuntiatum fuisse, Dn.
Præses meminit; Unde insignis pro actore cau-
tela est, ut, moto Processu ordinario, partis
adversæ rotulos in possessorio exhibitos per-
lustret, & factas ibi testimoniū depositiones,
quantum fieri potest, in usum suum trans-
ferat.

§. XXI.

Cæterum qvod in superioribus prolixe;
qui testes habiles, & qvinam inhabiles ad te-
stimo-

stimonium dicendum sint, exposuimus, ideo potissimum pertinet, ut solcite sibi quisque cavere discat, ne facile testem inhabilem, vel non omni Exceptione majorem producat. Cum enim hujus testimonium pro ipso dictum, parum, vel nihil ipsi proposit, ex adverso contra productentem semper probat. *L. si quis testibus C. d. test. Campeg. d. test. Reg. 292. seq. Lanfr. d. test. n. 51.* Qvod adeo verum est, ut etiam in Criminalibus testis ad Fisci instantiam examinatus, quamvis inhabilis sit, tamen contra eundem probet. *Farinac. d. Test. tit. VI. Quest. 62. n. 213.* Et testes per productionem semel tacite approbati semper reproduci a parte adversa non solum in eadem, sed etiam in diversa causa queunt; neque producendi facultas contra eosdem excipiendi concessa est. *Mascard. d. Prob. L. 3. Concl. 1235.* Qvod tamen sic limitant DD. modo producenti inhabilitas testium perspecta fuerit. Neque enim aliquis videri potest approbare defectum, quem ignorat. *Farin. c. l. n. 244.*

§. XXII.

Circa renunciationem testium utilis cautela est, ut quis nunquam renunciet, nisi protestatione, atque conditione adjecta, modo altera

E 3

qvo-

qvoque pars renunciet. vid Campeg. reg. 175. Lanfranc. tr. d. Test. n. 45. Neque enim renunciatio unius partis alias & regulariter alteri non renuncianti, & producere volenti præjudicat. Bart. in Avth. atqvi semel n. 15, C. d. Probat. Add. Avth. Jubemus C. d. Judic. Cæterum sicut omnis renunciatio stricte capienda est, ita etiam hæc restringenda ad articulos jam productos; Unde si quis id ere sua fore intellexerit, non obstante illa renunciatione, integrum ipsi est, in aliis, iisque novis Capitulis eosdem testes denuo producere; sicuti tradunt, & late exponunt Zabar, in Clem. 2. n. 8. in fin. vers. 8. hoc verum d. test. Campeg. reg. cit. in 3. fall. Farinac. tr. d. test. Tit. 3. Q. 25. n. 288. Qvicquid dissentiat Gulielm. d. Monte Land. in Clem. 2. in verbo contrario n. 2. d. test.

§. XXIII,

Non minus sedulo ac diligenter cavendum est, ne quis intempestive testibus renunciet, sed idem re integra, & intra terminum a lege præfixum faciat. Et Jure quidem Saxonico per expressam dispositionem. Ord. Proc. tit. XX. §. Ebens ināsig/post realem productionem testium eodem revocare amplius non licet. Nam per realem productionem testes alteri parti communes fiunt,

fiunt, ita ut pro utraqve parte jurent, & responderemur. Qvod secus est, si productio solum verbaliter facta sit; per talem enim productionem jus parti adversae haud acquiritur; sed arbitrio libero testibus renunciare licet. *Petr.*
Heig. P. 2. *Quesit.* 4. n. 20. seq. *B. Ziegel.* ad cit. loc. *Ord.*
Proc. Tit. XX. verb. nicht aber realiter produciret.
Cum enim omnia sunt integra, neque jus alteri quæ situm, consilium mutare licet. l. 8. pr. ff. d.
Callat. bon. l. ii. C. d. *Reb.* *Cred.* Verbalis autem oblatio & nominatio testium vim productionis, quæ jus parti adversæ tribuat, non habet; sed requiritur, ut testes de veritate dicenda jurent. *Mev.* P. 8. Dec. III. n. 6. *Martini ad Ord.* *Proc.* c. l. n. 55. seq. *Add. Mynsing.* *Cent.* 6. *Obs.* 76. n. 2. *Berlich.* P. I. *Concl.* 38. n. 49. seq.

§. XXIV.

Quæ occasione aliquando in ipsis rerum argumentis disceptatum fuisse subventionuit Dn. Præses, quo termino facultas revocandi documenta inclusa sit, quæ tempore jus parti adversæ quæratur, an per inductionem eorum, vel citationem partis adversæ ad recognoscendum, an denique realem productionem? Et prævaluit postrema sententia, argumento a mēthorata dispositione de testibus ducto. Quam colligendi rationem laudat etiam *Mev.* P. 8. Dec. III. n. 7. P. 4. *siam.*

cian. Tr. d. Probat. lib. I. c. 63. n. 132. & c. 66. n. 112. scq.
Add. Dn. Svend. ad Fib. Proc. p. 1462. Et hunc in
modum interpretanda esse censeo verba *Merit*
memorato loco, qvæ alias, si eorundem apicibus
strictè inhæreas, eum in sensum facile accipi
possent, qvasijam tum post relationem copia
rum ad Acta factam res integra esse definit.
Præsertim cum favor probationis subsit, & ne
quis justo maturius arma domestica contrase
parti adversæ præbere cogatur. In eo etiam
diligens cautio adhibenda est, ut is, qui probatio
nem per testes facturus est, diligenter inquirat,
utrum testes, præsertim absentes, adhuc in vivis
sunt; Nam in locum eorum, qui jam tunc de
mortui sunt, alios substituere haud licet; Cum
negligentiae suæ imputare debeat, qui in vita
eorum exploranda non majorem curam adhi
buit. Qvem in modum nuper admodum Or
dinem Vitemberensem respondisse accepi.
Sed longum est, omnia exeqvi, qvæ circa hoc
probandi genus notatu digna sunt. Hæc enim
sufficere visasunt, qvæ materiam eruditio cer
tamini propediem ineundo suppeditarent. Qvo
circa hic subsisto, & Numinis Divino præ
stiti auxilii grates submissas ago
atque perfolvo.

F I N I S.

ULB Halle
006 779 824

3



1018





9520.

Sto: 547.322.

10

1704. 86

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
PROBATIONE
PER TESTES CAU-



NIO,
CABI-
CII

RIBUS

(5)